



BAbo illustris comes de Ror, & baro de Abensperg, filius fuit Babonis Schirorum principis & frater Ottonis Schirensis Satrapæ. Is insignis uirtutū cultor in Germania extitit, anno post Christum natum millesimo, eo nimirum tempore cum S. Heinricus Romanum imperium moderaretur. Itaq; factum est ut Chunegundæ Imperatricis aulæ præficeretur, quā etiam per plures annos magna modestia administravit. Habebat autem Babo ex legitimo thoro triginta duos filios & duas filias superstites, sicut in fastis monasterij Vueltenburg annotatum est: cum itaque pius pater sollicitus esset quānam ratione numerosę soboli pro-

spiceret, atque omnes in eo statu, quem ipse à maioribus illustrem acceperat, conseruare possit, nulla uia commodior uisa, quam ut eos S. Henrico Cæsari commendaret. ad id etiam commoda ei occasio oblata. Contigit enim ut Cæsar Ratisbonæ suorum procerum conuentum habiturus, & sese postea cum illis in uenatione oblectaturus, omnes admonuisset, ne quis procerū aut nobilium plures comites adiungeret, uerū uno tantum seruo comitatus compareret, quo locus hospites capere, atq; annona sufficere posset. Itaq; Babo filios suos iuuenes egregiè ornatos, splendide instruit, & unicuiq; seruū adiungit, atq; hac ratione sexaginta sex equis magna sollemnitate urbem ingreditur.